



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 25. De Prælatione Barrabæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](#)

4. Religiosum virum nequaquam abieci & simplicis habitus sui pudere debet. Christus enim nostra causa ne fatui quidem habatum recusauit.

5. Quoties aut plurium aut meliorum vestium, quam status noster exigit, cupiditate tememur : toties pauperi & humili Iesu illuminamus.

6. Quanquam non expleuit votum Herodis Christus , quippe quod nulli bono esset, alia tamen parte beneficium contulit, quod non petebat : dum cum Pilato illum restituit in gratiam. Sic si quando concedat Dominus quod petimus, nunquam tamen non dat illius loco aliud melius, & aptius saluti nostræ.

7. Non satis fuit Herodi spreuisse Christum , sed remittit etiam induitum veste alba & ridicula , vt eum alijs similiter deridendum præberet. Id nos imitamur, quoties non contenti in animo iudicare de proximo, sed verbis etiam ad audientes proferimus, vt & apud illos existimationis iacturam faciat.



## MEDITATIO XXV. BARRABAS CHRISTO PRAEFERTVR.

### PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. Christo reducto, dicit Pilatus; nec se, Mat. 27  
nec Herodem inuenire causam mor- Mar. 15.  
tis: itaque vult eum flagellare. Luc. 23.  
II. Quo- Ioan. 18.

Pila-  
cum  
con-  
eth.  
rinci-  
us Do-  
o; can-  
eamus:  
m esset  
est sa-  
, quod  
um fa-  
ihili x-  
Qua ex-  
x iudi-  
debea-  
ur, eò  
seruia-  
l latum  
e Chri-  
Reli-

**II.** *Quoniam moris erat, ut in Paschate,  
vnus ex reis dimitteretur, proposuit  
eis Barrabam seditiosum & homi-  
cidam.*

**III.** *Sacerdotibus persuadentibus populus  
Barrabam Christo præfert, clamans:  
Crucifige eum.*

---

## FIGVRA.

**Leui. 14** *L* EPROSVS, à lepra curatus duos of-  
ferebat passeres sacerdoti, quorum  
alter offerebatur in sacrificio pro eius  
emundatione, alter demittebatur li-  
ber.

---

## PROPHETIAE.

**Psal. 117** *L* APIDEM quem reprobauerunt adi-  
cantes, hic factus est in caput anguli.  
Id est, Christus, quem lapis ille designa-  
bat, cum à Iudæis coram Pilato esset re-  
probatus, factus est caput duorum po-  
pulorum: Iudæorum & Gentilium,  
&c.

**Psal. 22** *Ego autem sum vermis, & non homo; op-  
probrium hominum & abiectio plebis.*

**Hier. 14.** *Et eligent magis mortem quam vitam o-  
mnes qui residui fuerunt de cognitione hac  
pessima.*

DOCV-

## DOCUMENTA.

1. **S**I quando bene agentes in mala sumus existimatione, peiusque de nobis homines, quam de ijs, qui nobis longè nequiores sunt, iudicant; adhibenda est patientia: cum Christus Barraba scelestior habitus sit.
2. Barrabam præponimus Christo, cùm nostra iudicia aut voluntates superioris sensui & voluntati præferimus. Item cùm virtuti vi- tium, spiritui carnem, honorem mundi honori Christi, seculum religioni præponimus.
3. Cùm lente in aliquas imperfectiones trahimur, vel ne hominibus iniucundi simus, vel vt nobis iucundi, similes Pilato sumus, qui ne quid Iudeos offenderet, sed eos in gratia conseruaret, dimisit Barrabam, & tradidit Christum.
4. Nos qui profitemur sequi nos Christum, caritatem eius amulari debemus, vt vitam, cùm res aut salus proximi flagitat, lubentes profundamus. Quemadmodum Christus, vt Barrabam humani generis imaginem libera- ret, ipse se condemnandum tradidit.
5. Quām īxpe fit, vt diuina inspiratio intus loquatur & suadeat, vt liberemus Christum, siue peccato aliquo onittendo, siue occasione tollenda: at nos vel operis difficultate, vel ne- gligentia vincendi nos ipsos respondemus: Viuat Barrabas, & crucifigatur Christus.
6. Non debet nos paupertatis, viliū offi- ciorum, existimationis apud homines exiguae pudere, neque enim puduit Dominum no- strum Barrabæ non modo comparari, verum etiam posthaberi.

MEDI-